



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum  
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

III. Mouendus populus, qui & quomodo impedimenta denuntiare debea[n]t;  
quidne agendum, cùm denuntiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

*De Impedimentis reuelandis.*

Qui denuntiationibus factis nouit aliquod impedimentum, teneatur sub culpâ graui illud manifestare, quamuis sit occultum, ut fert communior sententia; imò etiam si iurato nouerit, modò non id nôrit ex Sacramento Confessionis, idque tum, ut parat Ecclesiæ præcipienti, tum ut graue aliorum damnum impediatur; modò id aperire possit absque magno suo incommodo, aut absque probabili scandalo ex ea reuelatione secuturo. Probabilius autem est, reuelandum, etiam cum impedimentum ita occultum sit, ut probari non possit, modò moraliter sit certum subesse: quare si tantum nôris ex auditu ab homine fide indigno, vel nihil certò sciente, non teneris: secùs, si persona fide digna sit, & certò asseverauit. Hic autem sufficit vñus testis fide dignus, quia non

258 *Institutionum Pastoralium*

non agitur de pœnâ infligendâ, sed de  
damno auertendo. Aduerte, si im-  
pedimentum ex peccato occulto ori-  
rur, priùs fraternè admonendum esse  
eum, qui eo impedimento laborat, ut  
desistat, modò sit spes profutura  
monitionis, alioqui denuntiandum;  
quia impedimenta dirimentia reddunt  
Matrimonium nullum, quamuis oc-  
ulta. Sis tu igitur ad hæc attentus.  
Cùm primùm autem impedimentum  
sufficiens ad te delatum fuerit (quod  
expedit scripto ipsius referentis exci-  
pi) desistes à progressu vltiori,  
quantumvis unus solus detulerit  
quicunque, modò fide dignus; aut si  
ipse sufficienter nōris (modò non ex  
Confessionis Sacramento.) Nego-  
tium autem hoc remittes ad Episco-  
pum; neque enim ad te spectat dis-  
cernere de impedimentis, sed ad Su-  
periorem, qui Iurisdictionem  
habet in foro ex-  
terno.

NVM: